

quod Byzantii solum magnæ Ecclesiæ, non vero etiam aliarum Ecclesiarum Clerici, hæc Collegis suis dant. Schol. Balsam. Constitutio 30. & 41. tit. 3. lib. 1. Codicis, non sunt posita in Basilicis, atque ideo irrita facta sunt.

Cap. 28. Constitutio 9. tit. 3. lib. 1. Codicis, non concedit, Diaconissam fieri, quæ sexagesimum annum non superavit. Balsam. Schol. Constitutio 9. tit. 3. lib. 1. Cod. posita non est in Basilicis.

Cap. 31. Quin Exorcistarum etiam constit. 6. tit. 3. lib. 1. Codicis meminit. Schol. Balsam. Constitutio 6. tit. 3. lib. 1. Cod. posita est in lib. Bas. 3. tit. 3. cap. 5.

Cap. 32. Constitutio autem 2. tit. 9. lib. 9. Codicis, lenonem esse dicit eum, qui uxorem suam in adulterio deprehensam, in matrimonio detinuerit; non autem, etiam qui adulteram solummodo suspectam habuerit. Balsam. Schol. Tit. 9. lib. 9. Codicis positus est in lib. Basilic. 60. t. 37. cap. 42. hoc vero Caput omissum est.

Cap. 34. Constitutio 11. t. 3. lib. 1. Cod. ex ipsis pagis (1) & vicis, non autem aliunde, in Ecclesias ipsorum ordinari debere, ut propriam capitacionem ac vengigal contribuant. Constitutio vero XVI. ejusdem tituli, & constitutio 2. tit. 1. novellarum, ajunt, censibus annotatos, etiam invitis agri dominis, in iis vicis, in quibus mansitant, ordinari. Schol. Balsam. Constitutio XI. tit. 3. lib. 1. Cod. posita est in lib. Basilicor. 3. tit. 3. cap. 6. quod sic habet: ex eodem vico, in quo est Ecclesia, secundum proportionem loci, judicio Episcopi, Clerici ordinantur: ac propriam capitacionem, agnoscunt. Constitutio XVI. ejusdem tituli, & libri, in Basilicis non est posita.

Cap. 36. Constitutio XXXVI. tit. 3. libri 1. Codicis ait, servum ne volente quidem domino, clericum fieri, nisi prius manumittatur. Balsam. Schol. Titulus III. lib. 1. Cod. positus est in lib. 3. Basilic. capite 2. verum tamen hoc caput in Repurgatione omissum & non positum est.

Titulus 11. Cap. 1. Dicit vero etiam Constitutio XV. Tituli 11. Libri 1. Codicis, quod siquis rem mobilem, immo-

(1) Græce  
Χαρίων, quæ  
vox male reddi-  
tur, possessionibus.